

Σὺν Θεῷ τελοῦται;

# LAPIS LYDIUS

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ;

SIVE

De

PRINCIPIIS REGULATIVIS

in Philosophiâ Practicâ ob-  
servandis,

DISSERTATIO PHILOSOPHICA:

*Quam*

Amplissimæ Facult. Philosophicæ,  
in Regiâ ad Auram Academiâ,  
Permissu,

P RÆ S I D E,

J O H A N Münster/

Philos. Praet. & Histor. Prof.

Celeberrimo,

Publicè ventilandam exhibet

Ad diem 29. Novemb. Anni MDCCII,

HENRICUS EMAN. REUSSER.

Tawast.

Exc. Jo. WAL.

ater.

In

S.<sup>M</sup> R.<sup>M</sup> M.<sup>M</sup>

MAXIMÆ FIDEI VIRO,

Reverendissimo in CHRISTO

Patri ac Domino,

DN. JOHANNI  
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI  
Consummatissimo,

Dioeceseos Aboënsis EPISCOPO  
Eminentissimo,

Acad. ibidem PRO. CANCELLARIO  
Magnificentissimo,

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI  
Gravissimo,

MÆCENATI ET PROMOTORI  
meo Summo,

Humilimo observantiæ cultu æternum  
suspiciendo & devenerando.

ANOS ET PROSPERA QUÆVIS!

**M**usarum Commune DEUS, nostrique  
Lycei  
Gloria, da veniam celsum quod no-  
men opellæ

Præfixum gerimus, tenui calamo properatæ :  
Sæpè quidem dubiam traxit sententia mentem,  
Hoc rude num specimē terre hæc insignia posset,  
Mitior hinc animum vestri tamē aura favoris  
Erexit, invictq; animum servare receptum,  
Dicens: Immemoremur num te decet esse favoris;  
Scis etenim quantis domus est dirata parentis  
Dotibus, à Magno quæ profluxere Patrono;  
Gratia quanta tibi pariter provenit ab illo,  
Annon te semper complexus amore paterno,  
Hæc decet ingratā num cuncta recondere mentes  
Hinc ergo primos fœtus Documentaque prima,  
Parva licet fuerint Per magno Dedico Patri.  
Ille suo faciat scriptum splendore coruscum.  
Suscipe nunc igitur placida quod profero fronte,  
Ulteriusque tuo complectere amore Clientem,  
Qui calidis votis faustissima cuncta precatus,  
Ducere dum vitam patiuntur fata, manetque:

REVERENDISS: V: PATERNITATIS

*Ad obsequia devotissi-  
mus clientulus*

Hen: Reuter.

Viris pl. Reverendis Clariss.

MAG. ELIÆ WOIVALENIO,

Pastori in Särmåki longè dignissimo, nec  
non districtus adjacentis Præpolito gra-  
vissimo, Patrono omni obsecrantia ætatem  
honorando.

DN. JOHANNI Gåßmann/

Ecclesiarum Hauheenium Pastori & Præ-  
posito laudatissimo, Evergetæ nunquam uon  
honorando,

DN. JACOBO Lefmann/

Pastori in Øystad dignissimo, Avunculi  
loco reverenter semper colendo.

DN. GEORGIO Hårpman/

Pastori in Reuru laudatissimo, Evergetæ  
Patrui loco humilimis obsequiis vene-  
rando.

Dm. PETRO forsteen/ in supe-

riori Särmåki Territorio Redituum exactori  
spectatissimo, Fautori multum honorando.

PATRONIS, PATRI, PROMOTO  
multos & feli

Hasquæ primitias studiorum suorum in perpe  
monumentum, bumiliter &

Autor &

Rever. Spectatissimisq;

DN. ABRAHAMO JUSLENIO,

Pastori Ecclesiarum quæ in Somero DEO  
colliguntur vigilantissimo, & vicinarum  
Eccl. Præposito accuratissimo, Patrono meo  
summa animi rever. æternum prosequendo.

DN. EMANUELI Reuter/

Pastori in Hattula meritissimo vigilantissi-  
moquè, Patri suo benignissimo, filiali cultu  
æternum suspiciendo.

DN. SIMONI WACCENIO,

Pastori Mastoënsium soletissimo, Fautori  
& Benefactori sincera mente æratem de-  
venerando.

DN. ANDREÆ Berg/ per Dyna-  
stiam Tawastensem Commissario prudentis-  
simo, Fautori & Evergete indubitatissimo.

DN. ISAACO Bâck/ antehac

Arendatori perindustrio, Affini & Benefa-  
ctori amantissimo.

RIBUS & EVERGETIS Optimis,  
ces vovet annos!

tua filialis o' servitiae & debitæ gratitudinis  
officiose dat, dieas, dedicat;

Respondens.

In LAP'DEM LYDIUM,  
Sive Dissertationem,  
De PRINCIPIS PRACTICIS REGULATIVIS,  
*Modestia vite & Eruditione conspicui*  
JUVENIS,  
Dn. HENRICI REUTER/  
Pastoris de Ecclesiis Christi benè me-  
riti, optimæ spei Filii, amici ac  
Commilitis sui sincerè  
dilecti:



## ΕΙΣΟΔΟΣ.

**I**N frontispicio hujus dissertationis, vel maximè operæ pretium duximus, de ejusdem inscriptio-  
ne, B. L. pauca præfari: Siquidem primâ fronte, vel saltem accuratio-  
ris judicij lance, rem non pensan-  
ti, titulus discursui appositus, à  
materiâ heic tractandâ videtur ferè  
esse alienus: Novimus quidem titu-  
lum (tanqâ à tuendo dictum, quod  
Auctorem suum tueatur, ac vin-  
dicer) vel libri cujusdam, vel operis,  
vel statuæ, vel sepulchri, vel voti,  
aut cujuscunque demum materiæ,  
inscriptionem dici, at nec ignora-  
mus hanc modo propriè, perspicuè  
& clarè, absque verbis quibusdam

A

fi-

figuratis; modo metaphoricè ac per translationem, sive necessitatis, sive etiam ornatus gratia exhiberi. Quo observato, facile unicuique apparet, nos signo LAPIDIS LYDI, nequam proriè hic intelligere lapidem illum Mœonium, sive Heraclium, (quern ab Heracliâ civitate LYDIÆ potius, quam ab Hercule sic dictum malunt eruditi, Svetice en Probeersten) cuius attritu aurum & argentum, cuiusmodi sit indolis & puritatis, artifices explorant; Verum sensu utimur Metaphorico & figurato, unde commodè hæc suâ velut sponte fluit notatio: Quod LYSIS LYDIUS Philosophiæ Practicæ nil aliud sit, quam doctrina de Principiis regulativis in Practicis observandis. Voces autem, cum LAPIDIS, tūm LYDI, separatim sumtæ, in *paræmis* & *proverbis*, nigro qvodam interpretationis calculo, licet plerumque nō tentur, propter materiæ tamen præsen-

sentis conditionem per translatio-  
nem, quâ ad mentem Rheticorum,  
verbi à propriâ significacione ad  
impropriam, propter rerum signi-  
ficatarum similitudinem, apta fit ac-  
commodatio, ad mitiorem restrin-  
guntur significatum; Nimirum, ut ad  
Lapidem quem vocamus Lydium,  
in visceribus terræ, à naturâ produ-  
ctum, & inde iu lucem, opera ar-  
tificum extractum, auri nobilitas  
argentique decus probatur, sic ad  
solidam principiorum quorundam  
normam, regulam atque Cynosu-  
ram, universa conclusionum veritas,  
in Philosophia Practica scilicet oc-  
currentium, erit examinanda.

## MEMBRUM PRIMUM,

### §. I.

**A**ntequam verò, ad ipsa Philo-  
sophiæ Practicæ regulativa  
Principia, nos accingamus, non o-  
mnibus fore rem ingratam sperare

licebit si generalem Philosophia & Præticæ descriptionem breviter indigaverimus; Eam verò pro sensu nunc latiori nunc strictiori, varie designari, quis inficias ibit; undè aliis *politicæ*, aliis *Activa*, aliis *Moralis*, aliis *Operativa*, aliis denique *Administrativa*, frequentissimè audit: Ne vero inter ambiguas has variarum acceptiōnum syrteis, incerti fluemur, placet eorum sententia, qui Philosophiam Præticam per Prudentiam definiendam volant, quæ facultatem animæ rationalis, appetitivam & sociabilem ejusque actiones liberas, secundum legis tam æternæ quam naturalis normam, rectæ rationis iudicij atque experientiam veram, ordinate dirigit, ut beatitudine moralis, felicitasque civilis quatenus in hac infirmitate fieri potest, obtineri queat.

## §. II.

**G**enus hujus definitionis est Prudentia, quæ (definiente Aristoteley) est

est virtus seu habitus practicus cum  
recta ratione activus; siquidem Phi-  
losophia Practica non in nuda con-  
templatione, (sic enim non πράξεως  
verum θεοπίας nomine venire de-  
beret) sed in operatione, unde à qui-  
busdam operativa audit, acquiescit;  
si vero systematicè, non quatenus  
in mente est hominis practici, sed  
quatenus præceptis concinnata est  
in libro, considerare eam aliquis vo-  
luerit, non negabimus artem nomina-  
ri: Cum autem prudentia optimè re-  
pondeat subiecto, objecto & fini,  
genus utique legitimum Philoso-  
phiæ Practicæ constituit. Diffe-  
rentia propria & essentialis sumta  
est ab objecto, causa efficiente, for-  
ma & fine. Objectum autem Phi-  
losophiæ Practicæ est duplex, remo-  
tum & propinquum; remotum est fa-  
cultas animæ rationalis appetitiva &  
sociabilis; Proximum sunt actiones  
liberæ, & quidem humanæ, quate-  
nus

nus ad honestatis normam confor-  
mandæ & ad felicitatem civilem  
dirigendæ: Hæc autem Philosophiæ  
Præticæ esse objecta statuimus, su-  
fulti rationibus, sumtis à naturâ &  
conditione objecti: 1. Qvia nullum  
Objectū ingreditur constitutionem  
ejus, cuius est objectum; 2. Non  
potest nec debet inesse ei scientiæ,  
in qua est objectum, sed extra il-  
lud esse & existere; 3. Radix sit  
oportet, ē qvâ omnia ea, qvæ in  
eâ tractantur disciplinâ, scatent, o-  
riuntur atque proveniunt. Hæc au-  
tem singula facultati animæ ratio-  
nalis appetitivæ & sociabili, inde-  
que profluentibus actionibus libe-  
ris competunt. Causa efficiens &  
quidem Principalis Philosophiæ  
Præticæ in definitione est Lex Æ ter-  
na, minus autem Principalis, Lex Na-  
turæ, Recta Ratio & Experientia.  
Norma enim normans, Lex scilicet Æ-  
terna & ἀρχέτυπος, hominem ad obti-  
nen-

nendam & conse<sup>t</sup>andam beatitudinem moralem atque felicitatem civilem invitat & requirit, quod idem lex insita mandat, recta ratio distitat, & experientia quasi in manum tradit. Hæc igitur sunt Principia illa Regulativa Philosophiæ Practicæ, quæ instar cynosuræ, in controversiis Practicis decidendis sunt rectissimæ, ne turpia pro honestis, ficta pro veris, vitia pro virtutibus habeantur. Forma, vero, in ipsa humanarum actionum directione & summi boni applicatione consistit; Finis denique Philosophiæ Practicæ est summum bonum Practicum, utque homo ad istiusmodi beatitudinem moralem consequendam atque felicitatem civilem obtinendam, aptus idoneusque reddatur; Qui tamen finis se superiorem, finem, scilicet, ultimum, gloriam DEI, presupponit. Tantum de Definitione, sequitur Divisio.

§. III.

**S**crip*t*ores autem hic in variâ abe-  
sunt sententiarum divortiâ, solent  
namque variè Philosophiam Practi-  
cam dividere; quidam Institutioni  
Ethicæ, Politicæ & Oeconomicæ,  
*Regnativam* istam, in sacro Imperan-  
tium pectore delitescensem *Pruden-*  
*tiam*, & illam, belligerandi arte seu  
militari scientiâ superbientem *Po-*  
*lemicam*, tum etiam exquisitas pe-  
rigrinandi rationes prudenter tra-  
dentem *Apodemicam*, denique tem-  
poris illam testem quoque seu vetu-  
statis nunciam *Historiam* addunt atq;  
attexunt. Nos, vero, ad mentem  
saniorum, στιαν quidem seu essentiam  
esse Philosophiæ Practicæ unicam  
tenemus, ita tamen ut eam in tres  
commode dividere possimus partes;  
non quidem realiter, sed modaliter di-  
stinctas, id est, non tanquam spe-  
cies ejusdem generis, realiter atque  
essentialiter inter se discretas, sed ut  
partes ad totius Philosophiæ Pra-  
cti-

Eticæ integritatē perficiendam unanimiter concurrentes. Illud, autem, dum statuimus, nemo ab aliorum doctissimorum virorum sententia, nos discessisse existimet, qui à *Æl. Bæs* loquendo, Philosophiam Practicam essentialiter in duas partes, generalē scil: seu absolutam, & specialem seu relatam secant. Etenim hæ divisiones sibi invicem non contrariantur; Perinde itaque fuerit utramlibet earum usurpare volueris, quia diversitas vocum non tollit æqvipollentiam sensus.

## MEMBRUM SECUNDUM,

### §. IV.

Postquam itaque Philosophiæ Præticæ amplitudinē diffusissimam, sic paucissimis pro modulo ingenii delineavimus, & quot genuinis illa absolvatur partibus, quam brevissimè exposuimus, instituti nos monet ratio, ut intra propositi discur-

sus limites maneamus, ne extra o-  
leas vagari videamur; Imprimis  
tamen, ut ad generalem horum  
principiorum cognitionem, & ad  
destinatum scopum eo felicius  
perveniamus, qvantâ fieri potest  
brevitate, Philosophiæ in unversum  
principia, qvotuplicia fuerint, si-  
gnificare debemus: Sunt autem illa  
duplicia, qvia ipsius hominis, qvoad  
diversos ipsiusmet perficiendi mo-  
dos, duplex institui potest respectus,  
Unus, quo se ad ens illud eminen-  
tissimum, videlicet, DEUM, benefi-  
cio mentis contemplationibus oc-  
cupatæ, altius librat; Adeoqvè ipsâ  
rerum speculazione, in hoc univer-  
so existentium, se illi, κατὰ τὸ δυνα-  
τὸν similem reddere, studiosè allabo-  
rat. Alter, qvo is idem homo, non  
ut animal aliquod solivagum, sed  
ut confociationi aliorum destina-  
tum, & omnino rationale, in hujus  
terrarum orbis lucem, se prognau-  
tum

cum esse sentit, unde intelligit sese  
facultate loquendi, ideo dotatum,  
ut levitate sermonis conversatio-  
nem condiat, manuum beneficio in-  
jurias arceat, operique incumbat,  
& quod maximum est, rationis pra-  
cticæ dominio, ut fœnum inordi-  
nato suo appetitui injiciat, affectus  
gubernet, cupiditates moderetur,  
ne ferino efferati more, sibi invi-  
cem noceant mortales, sed hone-  
stâ virtutum æmulatione, societa-  
tem colant. Sicut ergo, duplicibus  
his operationibus, nobilior illa nostri  
excellit portio; speculativis videlicet  
partim, partim vero appetitivis &  
Activis, ita quoque illa ipsa in sui  
medelam, perfectione & normam,  
geminis indiget habitibus, quorum  
alius intellectui, alius voluntati in-  
servit; Haec enim primariae & propriæ  
potentiae animæ rationalis sunt,  
quarum iterum habitus ex diversis  
cum orientur seminibus, alia con-

templativâ ex Theoreticâ, aliâ denique activâ ex practicâ operandi ratione, salutantur.

### §. V.

**M**issis Theoreticis, ut pede, in nobilissimâ hac materiâ possimus progredi inoffenso, Principiorum Philosophiæ Practicæ regulatiorum reqvisita, jam porrò nobis erunt cognoscenda. Variæ autem eorum ab eruditis constituuntur affectiones, quarum omnium enumerationi, si tempus impenderemus, vix his paucissimis, coarctari possent pagellis; qvas tamen brevitati litantes, ad tres præcipuas maximequè proprias reduci posse putamus; Erunt namque (*a*) Principia illa prorsus necessaria, & ejus indolis, ut omnia Philosophiæ Præticæ dogmata & conclusiones inde, ita in fieri & cognoscendo dependeant, ut ultima harum ratio,

in-

interior veritas & constans certi-  
tudo, necessariò ab iis, non verò a-  
liundè petatur. (β) Decor eorun-  
dem Principiorum nativus perspi-  
cuitasqvè erit clara, cujus auxilio  
& ope mens nostra, in positis à no-  
bis principiis sponte acqvielcat, nec  
ulteriori eorundem, vel probatione  
indigeat, vel illustrationem reqvi-  
rat majorem. Qvibus duabus sub-  
jungimus (γ) ~~τεραπείμενον~~ & reqvi-  
sum sufficiențiæ, cujus intuitu  
multifaria illa, ne dicam infinita,   
per universum Philosophiæ Practi-  
cæ regnum occurrentia, & ferè di-  
spersa doctrinarum monumenta,   
ceu ex ditissimo quodam principi-  
orum gazophylacio affluentius hau-  
riri, copiosissimequè derivari pos-  
funt, cum aliàs ne Principiorum,   
multo minus Regulativorum ma-  
gnifico nomine queant honestari.  
Hisce sic leviter adumbratis, dicto-  
rum à nobis brevissima, ad præsens

ne-

negotium pertinens nunc fiat applicatio: Videlicet in Legem Naturæ, Rectam Rationem, Experientiam & Sacram paginam, sicut illa ipsa enumerata omnia, directè & propriè quadrant requisita, sic etiam illa, pro lympidissimis fontibus & pro exquisitissimis regulis, imò pro pretiocissimo, Philosophiæ Practicæ lapide Lydio, debent agnoscī.

### §. VI.

**A**ntequam autem ad hosce veros Philosophiæ Practicæ fontes pluribus rimandos fiat accessus, haut inconsultum erit, adulterinos quosdam rivulos, falsas principiorum trahentes undas, penitus obstruere: Sunt enim quidam, qui certitudinem principiorum Philosophiæ Practicæ regulativorum veram, liberæ uniuscujusque voluntati, deferendam dicunt; nescio tamen, an non tam debilis principii nominatio,

natio, ( si mode principii appellatione ornari queat ) simul ejus sit refutatio. Quid enim? an quidquam necessarii, perspicui, certi & veri, sibi Philosophia Practica, promittere potest? ubi entia moralia, negotia civilia, & domesticæ artes, ad brutam voluntatem & appetitum quendam cœcum, ad merum beneplacitum humanum, jam huc, jam illuc flexile, essent dirigendæ. Sic certè, proborum saepius periclitaretur innocentia, omnis virtutum defloresceret honos, ast vitia atque scelera triumpharent, vel ad minimum hæc ipsa fucata, & honestatis atque justitiæ specie depicta, incautos fallerent atque obruerent. Falluntur pariter illi, qui immodico sui deliniti amore, omnem justitiæ, omnemq; honesti ac æqui sanctitatem, adeoqvè & universam Philosophiæ Practicæ compagem, insimo utilitatis superædificant fulcro,

cum

cum hac ratione pessimi quique mortalium ferocientibus abrepti affectibus, & honestè & justè agere videri volunt, dum sibi suisque, solicite inserviunt commodis; Certè, inquam, non minus hac ratione, vel excularet honestas, vel civitatum fastigia corruerent, vel familiarum privatarum postes nutarent, si prout quemque sua utilitas traheret, & virtutes spernere, & fidem frangere, & à pactis resilire, promiscuè liceret. Hic autem instabit aliquis nobisque oggeret, non de apparen-  
ter, sed verè utili, quod ab honestate nunquam separatur, sententiam hanc esse explicandam; verum ne sic quidem utilitas, est mensura honesti & justi, quæ Philosophiæ Præticæ non obscurè absolvunt essentiam, nisi quis utili honestum & justum velit submittere, & hæc vicissim non alia causa, nisi propter connexum usum, minus rectè dicat ei-

esse expetenda. Errant denique illi, qui societas civiles, Philosophiae Practicæ principium regulativum unicum esse tradunt, quandoquidem in iis non raro, & Legibus Naturæ, & Rectæ Rationi, & Experientiæ veræ, immo ( quod magis est ) decretis divinis aperte contraria sapienter excentur. Manet quoque certum, societatem civilem, gubernatam ratione, non nisi officia cum aliis hominibus fideliter reciprocanda, vel urgerè vel exhibere, adeoque ad solam, præcipue spectare Politicam; idecirco, huic fundamento, utpote nimis angusto, augustū Philosophiæ Practicæ non superstruimus palatum. Hisce in genere, de Principiis Regulativis prælibatis, jam ratio instituti requirit, ut speciatim, de iisdem agamus, in quo occupabitur,

## MEMBRUM TERTIUM.

## §. VII.

**R**egulativa illa, quæ nominamus Principia, ex qvibus tanquam oceano, conseqventiæ Practicæ seu Principiata, partim immediate partim mediately fluunt, qvaternario commodissimè numero, uti supra dictū est, comprehendendi putamus; ita ut Primū, sibi vendicet locum jus Naturale, qvod singulorum mentibus altissimè impressum, per manifestos se exerit effectus. Secundum sit, Rectæ Rationis judicium, lumine Principiorum Practicorum irradiatum. Tertium, Magistra rerum Experientia. Quartum autem, reliqvis, sive obscuratis, sive indubium revocatis, erit norma normarum certissima, Scriptura Sacra: scilicet, qvod insita Lex mandat, qvod Ratio dictitat, Experientia confirmat, & Scriptura Sacra imperat, id instar lapi-

Lapidis Lydii, conclusiones habebunt Practicæ, hoc filum Thesei certissimum, in controversiis Practicis, solidè decidendis.

§. VIII.

**Q**uod autem Jus Naturæ omnium præcordiis altissimè sit inscriptum, non solum Scripturæ Divinæ sanctissima autoritas, sed & plura aliunde deducta rationum pondera, probant atque evincunt. Præcipue luculentum in hoc negotio exhibet testimoniu, tam divinitatis, quam conditionis nostræ, diligens pensatio: In priori siquidem (ut loquitur beatus Johannes Schefferus) occurrit providentia Divina, cui certè rationem, naturali judicio & voluntatis libertate ornatam dari repugnat, certam interim regulam, ad cuius rectitudinem, operationes dictæ rationis, essent dedolandæ, nullibi concedi. Occurrit pariter

justitia divina, quæ pro eminenti  
sua qua pollet sanctitate, nec pot-  
est, nec vult, actiones qvasdam pro-  
bare, vel alias iterum repudiare,  
improbitati irasci, enormesque de-  
bito afficere supplicio, immo, sensum  
quoqve indignationis illius, impro-  
bationisqj liberæ, mentibus humanis  
sufficienter indere, qvin & hanc  
mentem quoqve munierit norma:  
Hoc enim ni faceret, qvid esset a-  
liud, qvam de industria agere ( qvod  
impium dictu ) ut licet homo velit,  
improbationem odiosam iramque  
fugere, proter defectum tamen non  
posset regulæ. Qvod posterius ad-  
tinet, humanæ naturæ dum insti-  
tuitur consideratio, occurrit primò  
innatæ cujusdam regulæ sensus cla-  
rissimus, qvem vehementer pro-  
dunt, conscientiæ stimuli, in homi-  
nibus etiam sceleratissimis, qvam-  
vis eorundem natales & principia  
semper opprimere velint atqve stu-  
deant:

deant: quod sanè non fieret, si vel  
totaliter talis, denegaretur norma,  
vel ab opinione instabili temerè  
provenirent. Denique consensus  
omnium ferè gentium imprimis  
verò morationum, haud parum fa-  
cit ad probationem, vel improbati-  
onem eorum, quæ huic intrinsecæ  
conveniunt regulæ, quævè longius  
ab eodem digrediuntur; Nec certè  
effet unanimis adeo in re prælenti  
omnium concordia, nisi ab ingeni-  
to quodam, cunctisqvè communi,  
propullularet principio: Hoc autem  
principium est illud, quod Legem &  
jus Naturæ, nominare solemus; Id-  
qve sic dictum, vel à naturâ sui ob-  
jecti & actus, vel ab authore DEO,  
qvem veteres olim Naturam adpel-  
larunt, vel qvod optimè conveniat  
humanæ naturæ, vel denique potius  
eò, qvod in primo nativitatis pun-  
cto, cordibus humanis est per natu-  
ram intimè in sculptum, ad disceren-  
dum

dum honestum à turpi, illud jubens  
assiduè, hoc vetans severè.

§. IX.

**P**aucissimis sic exposuimus, ratios  
nes præcipuas, veræ & realis exi-  
stentiæ, Legis hujus innatæ: Jam  
qvod eadem sit genuina, disciplina-  
rum practicarum essendi & cogno-  
scendi norma, domonstrare debe-  
mus; id autem ab effectu ipso, seu  
officiis illis ( qvæ ceu consecutiva,  
à Principiis Practicis virtualiter  
profluentia , universa Philosophia  
Practica considerat ) probasse suf-  
ficiet, unde è tribus hisce Princi-  
piis, *DEUS est colendus, honestè est uti-  
endum, societas est ineundi*, tanquam  
principalioribus, exturgunt triplici  
qvoqve differentia constantes Pra-  
cticæ conclusiones, qvarum concer-  
nunt aliæ, præstationem officiorum  
hominis cuiusvis, respectu suimet  
ipsius, aliæ actiones, qvarum exhi-  
bitione commodum & utilitas re-  
dun-

dundat ad proximum, tam extra  
comunis societatis potuaria, quam  
quotidianâ familiaritate & tugurio,  
iisdem nobiscum utentem. Hæc  
singula curiose indagat & comple-  
titur Philosophia Practica, in-  
culcante eadem Lege Naturæ, quæ  
propositiones continet, ratione ob-  
jecti partim divinas, partim huma-  
nas, alias affirmativas, alias nega-  
tivas, præceptivas pariter, nec non  
concessivas, easque omnes, vel pror-  
sus indemonstrabiles, ac per se no-  
tas, ad quas pertinent Principia,  
cum primo prima, tum secundo  
prima, vel non nisi per demonstra-  
tionem qualemcumq; ex aliis pro-  
positionibus evidenter notis, tam  
remotè, quam proximè, vario modo  
cognoscibiles.

### §. X.

Jam ad alterum Philosophiæ Pra-  
cticæ Principium normativum,  
re-

Rectam, puta, Rationem, faciemus  
accessum, cuius essentiam, post de-  
plorandum primorum parentum  
lapsum, non tantum in spirituali-  
bus, sed & in civilibus miserè esse  
luxatam ( adeò ut de ejus existentia  
non immeritò dubitare liceret ) Sa-  
cri pandectæ & interpres Oracu-  
lorum divinorum dictitant. Negari  
tamen haut potest, gentiliū plurimos,  
peculiari revelatione divina desti-  
tutos, & spiritus S. gratia carentes,  
de honestatis atqve Supremi Numi-  
nis cultu, de virtutum studio, &  
qvæ sunt alia, indubia Rectæ Ratio-  
nis specimina dedisse, rectè de iis  
ac scitè judicando: Cæterum, dum  
Rectam Rationem Philosophiæ Pra-  
cticæ Normativum esse Principium  
contendimus, non est qvod existi-  
met qvisquam, eo ipso, vel ipsum  
intellectum seu ratiocinandi facul-  
tatem, aut animam rationalem, cu-  
jus facilis est lapsus, nos intelligere  
velle:

velle: Verum, *rectâ ratione* intende-  
re rectum intellectus naturale ju-  
dicium, circa honestatem, actiones-  
quæ civiles, ex principiis naturâ notis,  
legitimè extructum; Judicium autê  
intellectus hum.ani, circa legem qvâ  
maximè cû versetur naturæ; utiqz &  
illud, in ejus notitia indies perficitur,  
adeo ut maxima ejus rectitudo inde  
resultet. Hoc tamen intellectus judicii,  
non semper & infallibiliter est verū,  
nam ejus in errores lapsus, ut facilis,  
ita quotidianis exemplis omnibus est  
notissimus. Ut autem Rectæ Ratio-  
nis nomen mereatur, non modo sibi  
ab intempestivis caveat judiciis, sed  
etiam videat, ut secundū unius cuius-  
qvè rei veritatē strictissimè judicet;  
sicut enim, vel gravior, vel levior er-  
ror, ex disconvenientiâ judicii cum  
objecto, enascitur, ita ex ejusdem  
cum hocce conformitate, summa  
oritur rectitudo. Hæc conformitas,  
aliis non acquiritur adminiculis,

D

qvam

quam præceptione intelligibilium  
distinctâ & clarâ, ad quam vicissim  
est ab solutè necessaria, accurata  
simplicium terminorum cognitio, fi-  
delis eorundem inter se collatio, ut  
& ad propositionem quandam præ-  
clarè constituendam, apta & ordi-  
nata dispositio. Hinc Ratio, quae dis-  
jungenda atque separanda veniunt,  
non conjungat, nec semel positæ  
conclusioni, nisi consideratis prius  
( quantum fieri possit ) probè cir-  
cumstantiis, temerè assentiatur,  
quae tantò debent diligentius ex-  
tendi, quantò notius est, diversissi-  
mis modis veritatem propositionis  
læpius variare. Hisce observatis,  
faciliū erit ad leges naturæ ge-  
nerales, speciales vitæ humanæ ac-  
commicare actus, qorum omnis  
rectitudo, ex convenientiâ cum le-  
ge, maximè erit æstimandâ, nam  
& in ipsis Legibus naturæ, intelle-  
ctum ipsum quoque ultimò oportet  
subsistere.

§. XI.

## §. XI.

Experientiam veram, tertium Philosophiae Practicæ Principium esse affirmavimus Regulativum, & id quidem, secuti viros doctissimos, qui, prudentiam omnium rerum moralium & civilium, ab Experienciam, maximâ ex parte, non solum progigni, sed & ad hanc ceu cynosuram, exigi quandoque debere affirmant; Etenim, ut alios raceam, eruditissimus ille Justus Lipsius *εμπειρίαν* ex visu & tractatu, imo ex auditu & lectu conflari prudentissimè judicat; sanè usus certissim⁹ est doctor, alios magistros longissimè exsuperans, imò is optimo, gloriari potest jure, cū Poëta;

*Noέω καὶ οἰδα ἐκαστε,  
ἕσθλά τε καὶ τὰ κέρηα,  
Novi εἰς σcio singillatim,  
quæ bona quæ mala sunt.*

Sed nec ab hisce Doctissimus ille abludit Boëclerus, ubi ex Carolo infert Pascilio, Civilem Scientiam

tribus censeri, cognitione videlicet ~~fru-~~  
ris, peritiâ Historiarum, & solidâ Elo-  
quentiâ, subjugens postea, paucis  
interjectis, experiencingo scire, esse potissi-  
mum dicendi genus. Cæterū notitia illa  
*Empirica* seu experimentalis, cum alia  
sit certa, indubia & constans, alia fal-  
lax, erronea & ficta, alia propria,  
dū qvis per sua ipsius deficit aut pro-  
ficit pericula, alia aliena, dum per re-  
mota aliorum instruimur exempla,  
promiscuè certè ab eâ, & universaliter,  
omnium practicorum fidem, &  
salutem præcipuam pendere, ne-  
qvaquam adstruimus: sufficit, qvod  
~~empirica~~ firma, præcepta specialia à  
generalibus orta, ab eventu validè  
confirmet, colligendo, ut rem exem-  
pli illustrem, qvod hic bonus, pius &  
probus, ob virtutē, pervenerit ad di-  
gnitates, honores & gloriam; ille  
vero malus, calumniator & perjurus,  
ob nefandas actiones, ad patibulū, i-  
gnominiam & miseriam summam.

## §. XII.

Hactenus tria Philosophiæ Præ-  
 ticæ Regulativa Principia pro  
 modulo ingenii brevissimè dedimus  
 exposita, jam ad quartum, qvod  
 Scriptura Sacra constituit, movemus  
 gradum, qva fieri potest brevitate  
 declarandum; Qvod cum recentio-  
 res Philosophi negent, nos vero o-  
 ptimo statuimus consilio, dummo-  
 do odiosa illa errorum genetrix  
 absit confusio, qvâ ab imperitis, inter  
 Philosophiæ partes, videtur referri:  
 Nam moralis doctrina, quam Re-  
 cta Ratio ( quæ ipsa vox & lex DEI  
 in mentibus est ) omnibus indica-  
 vit, per talia explicatur lumina; ut  
 nesciri ista à Practico erudito, sine  
 gravissimo incommodo nequeant.  
 Neqvè enormis quædam hic metu-  
 enda μετάβασις, quam non evitant,  
 qui omnia in cumulum, ceu indi-  
 gestam molem conjiciunt; scilicet,  
 est Sacra Pagina inexhaustus ille oce-  
 anus

anus, ex cuius profundo, per va-  
rios meatus, non solum dulcissimi  
fidei ebulliunt liquores, sed etiam  
saluberrima cujusque scientiæ, sapi-  
entiæ, prudentiæ & artis petas do-  
gmata, Πᾶσαι γὰρ γεράφη, θεόπνευστος, καὶ  
ἀφέλιμος πρὸς δίδασκαλίαν, πρὸς ἐλεγ-  
χον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν  
ἢ δικαιοσύνην inquit Apostolus. Ac-  
cedat proindè sacratissimos illos Sa-  
crorum Bibliorum fontes, morum &  
virtutum ledulus lector, & inve-  
niet ibidem tot divina honestatis  
ac pietatis præcepta, qvot literas &  
apices: Accedat Politicus, & prima-  
riam societatum originem, imperi-  
orum ortum, progressum & ca-  
sum, Imperatorum Regumque ſata,  
Majestatis jura, imo qvidqvid ad  
debita subditorum officia pertinere  
queunt, hic diſcret atq; cognoscet.  
Accedat deniq; curiosus Oecono-  
mus & redibit indè qvam maximè  
probus, utilissimis ſilicet præce-  
ptio-

35

ptionibus, qvæ patrem familias fru-  
gi decorare valent, onustus: Unde  
facile unicuique dispalescit, Scri-  
pturæ Sacræ sanctissimum oracu-  
lum qvam maximè fore Regulati-  
vum, Philosophiæ Practicæ Princi-  
pium; Verum, cum partim instituti  
brevitas, partim ingenii tenuitas, filii  
disputationis hic præscindere juhe-  
ant, Tuam imprimis B. L. qva par-  
est animi modestiâ, candidam  
opterior censuram.

**GLORIA SIT PATRI, NATO SIT  
GLORIA, SANCTO  
GLORIA SPIRITU, TRIADI SIT  
GLORIA SACRÆ!**

De

De  
Lydio Philosophiæ Practicæ Lapide

Dum

Dissertationem proprio marte contextam masculè defenderet

JUVENIS

Literarum morumque harmoniâ conspi-  
cius, Consanguineus & amicus  
perdilectus.

HENRICUS E. REUTER.

Sicuturus normam, praxin pariterque  
*Sophia,*  
Pervolvat scriptum, Reuter amate-  
tuum.

Hinc didicisse patet vigilem te scripta so-  
phorum;

Ex illis mustum dulce tulisse tibi;  
Omnipotens igitur Cœlo pater almus ab  
alto,

Ipse tuis, voveo, provideat studiis;  
Augeat & musas, benedicens flamine sacro,  
Quo possis Patriæ, commoda multa dare,  
Felix & Sospes vivas in Nestoris annos,  
Longævus tandem Cœlica regna petas.

DAN: XOO3

Sat. Fin.

Egregias Reuter dum monstras Pal-  
ladis artes

Entibicognatus frater amansq; venit,  
Pectore qui calido gratatur vota parentum  
Non vana, at Musis perge favere tuis.  
Gaudent Castilides gaudetque Tavastia  
nostra,  
Hinc tibi & Astripotens gaudia grata  
ferat.

AND: Roos.  
S. Finno.

---

Eidem per Avayre.  
Literulis. Utere. Hinc. Serta. Manent.  
Ubera qui Juxit lactantis casta Mi-  
nerva,  
Hunc sophiam sanam quis didicisse  
neget?  
Literulis divae, Reuter / acrasse Minervae  
Hoc monstrat specimen pectora per-  
spicuum,  
Te verum sophiae lapidem fixisse bonarumq;  
Artium in Astrarigeronumine rite probat.  
Utere proporro studius Heliconiadum usq;  
Hinc olim cingent laurea ferta caput;

Lau-

Laurea ferta Manent manet & Te Glo-  
ria magna,  
A patria, patribus grande lenimen erit.  
Pergito sic igitur cursu contingere fausto,  
ardua quæque, brevi perficiendo scopum.

Applausit cognato  
gratulabundus  
Joh: Bâck.  
Tab.

---

Culmina dum sat agis Reuter consen-  
dere Pindi  
Monstrando specimen de Sophiae lapide,  
Pieridum celebris concurrit nempe co-  
rollam  
Impositura cohors, claraque ferta tibi,  
Propositorum velit ipse DEUS perducere  
faustè  
Optatum ad finem, quod mea vota  
petunt.  
Vive diu Patriæ felix charoque Parenti,  
Annorum capias cœlica castra satur!

AND: Aspegreen.  
S. F.

